

Transcription

Notum sit omnibus successoribus nostris et eunctis sancte Dei ecclesie famulantibus quia, ego, Regynaldus, Dei gratia Sanctonensis ecclesie licet indignus episcopus, videns et considerans regularem vitam [2] et memorande conversationis et baritatis ornatum monachorum de Botavilla, pro Dei amore in cujus servitio non dubium est ipsos insudare, dono Deo et beatis apostolis Petro et Paulo [3] de Botavilla et prescriptis monachis eorumque successoribusin ibi juxta normam patris benedicti militantibus, ecclesiam Sancti Marcialis quae sita est subtus castellum Mirembellii [4] et quicquid ipsius viris ecclesie in antea conquirere potuerint. Hoc donum ego familiaris et confrater societatis eorum ut teneant et habeant in perpetuum eis concedo, [5] retenta tamen pontificali dominatione. Et, ne hoc donum oblivionis in commodum faciat, hanc cartulam inde fieri preceptionis et videntibus subnotatis testibus [6] eam super altare predictorum apostolorum posuimus et signo crucis propria manu nostra eam confirmavimus et sigyllo nostro eam munivimus. Signum Regynaldi episcopi [7] hujus vero doni testes sunt subnotate p(er)so ex parte episcopi : Iterius Archembaudi magister, Iterius archipresbyter de Botavilla, Raymundus sacerdos nepos ejus, Willelmus Geraldii levita notarius ipsius episcopi [8] ; ex parte monachorum Stephanus prior ipsius loci in cujus manu hoc donum factum est, Aymmus sacrista Aymo monachus qui hanc cartulam dictavit, Reynaldus scriba meo qui eam scripsit et ceteri confratres. [9] Acta est haec cartula et hoc donum anno ab Incarnatione Domini M C XIII, epacta XXIII, dompno Paschali papa in Romana sede presidente qui suprascriptum Regynaldum presulem propriis manibus consecravit. Dompno Gerardo Engolimensis episcopo super Aquitania seu Vasconia atque Britania legatione fungente, Ludovico primissimo rege regnante in Galliis.

Arch. dép. de la Charente, 12 H 37